

Akte van bevestiging van de oprichting van de vicarie Sancti Nicolai, 4 april 1502.

Akte van bevestiging door Christianus Kelner, zegeldrager en vicaris-generaal van het bisdom Munster namens de bisschop van Munster van de verheffing van de vicarie Sancti Nicolai tot een geestelijk beneficium; met een akte van consent van Wynandus Tiekinck, pastoor van Winterswijk en met aantekeningen van latere schenkingen, 4 april 1502.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, amen. Christianus Kelner in decretis licenciatus sigillifer curie Monasteriensis reverendique in Christo patris et dominum domini Conradi de Retberch, episcopi Monasteriensium et Osnaburgensium ecclesiarum administratoris in spiritualibus vicarius generalis, universis et singulis presentibus et futuris ad quos presentes nostre littere pervenerint, salutem in Domino sempiternam; et presentibus fidem indubiam adhibere noveritis, quod constitutus personaliter coram nobis providus ac honestus vir Hermannus de Basten, laicus Monasteriensis diocesis zelo pietatis et devotionis cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commertio commutare; pro divini cultus augmento, pro sue [sic] necnon infrascriptorum omnium animarum salute, ad omnipotentis Dei et beatissime eius genetricis virginis Marie ac omnium sanctorum laudem, gloriam et honorem; in dotem perpetue vicarie ad altare sanctorum Nicolai Episcopi, Iohannis Baptiste necnon Christoferi martyris consecratum, situm in parochiali ecclesia in Wenterswick Monasteriensis diocesis, nonnullos annuos perpetuos redditus et seu possessiones, per eos ac infrascriptas personas, pro uno presbitero in ipso altari Deo altissimo servituro, realiter, effectualiter et irrevocabiliter datos et donatos, specificavit, designavit et recitavit in hunc qui sequitur modum.

In primis dictus Hermannus fundator dedit et donavit quandam litteram pergamenteam sigillatam pensionis annue sex florenorum auri monete superioris dandos et solvendos singulis annis, ex medietate possessionis sive curtis Ten Wyle cum suis pertinentiis situati in parochia Bocholt et in burschapio Lyderum Monasteriensis diocesis necnon quandam aliam litteram pensionis duorum maldeorum siliginis ex possessione ten Lutken Plekenpole nuncupata in parochia Wenterswyck et in burschapio Wolt dicte diocesis situatum; ac etiam quandam aliam litteram pensionis trium maldeorum siliginis de et ex bonis Ter Nedt, in parochia Alten et in burschapio Berlle eiusdem diocesis situatis; necnon tria quartalia unius floreni Renensis, inter pastorem in Wenterswyck, Iohannem Schomecker vicarium et custodem ibidem ac eorum successores, pro cantu missarum in choro, dividenda.

Item quondam honorabilis dominus Arnoldus Kremer, pastor in Wenterswyck, dedit et donavit quandam possessionem dictam to Arusfelt, in dicta parochia Wenterswyck et in burschapio Ville cum quadam domo inter domum dotalem et Ludeke Kedden, situatam.

Item quondam honorabilis dominus Bruno ten Toerne, plebanus in Wenterswyck, ac nobilis dominus Hinricus dominus de Ghemen et Wevelkaven ac Rotgerus de Graes dederunt quandam pascuam pro duabus vaccis pascuandam; salvo quod rector dicte vicarie, solvat singulis annis pro tempore pastori in Wenterswyck ex eadem pascua quatuor quartas vini.

Item communitas totius parochie in Wenterswyck dedit et donavit redditus annuos trium florenorum Renensium aureorum, per magistros fabrice ecclesie in Wenterswyck singulis annis persolvendos.

Item quondam Theodericus de Lyntel de Rechede dedit sex florenos Renenses ex curte sive possessione Debbynck, in dicta parochia Wenterswyck et in burschapio Korle situata, singulis annis persolvendos.

Quos quidem perpetuos redditus sive possessiones cum omnibus et singulis pertinentiis suis iuribus et obventionibus universis, dictus Hermannus de Basten suo ac omnium prescriptorum nominibus, sub spe foundationis et erectionis dicte perpetue vicarie ad altare pretactum deputavit, ordinavit et assignavit; nobisque quatenus eosdem perpetuos redditus ac possessiones perpetuare, ac pro dote dicti vicarii assignare, necnon ius patronatus et presentandi huiusmodi vicarium ad prefatum altare sibi quoad vixerit et post eius obitum seniori et proximiori de eius sanguine ac vera genealogia existenti reservare, necnon bona et redditus prescriptos mortificare ac vicariam huiusmodi erigere, dignaremur humiliter supplicavit.

Nos igitur Christianus sigillifer et vicarius antedictus huiusmodi supplicationem inclinati quia divini cultus augmentum concernunt, prefatam vicariam ad honorem omnipotentis Dei beate Virginis Marie necnon Sanctorum Nicolai Episcopi, Iohannis Baptiste et Christoferi martyris, sub titulo iuris patronatus laicalis in beneficium ecclesiasticum auctoritate nostra de expresso consensu venerabilis et

honorabilis [] Hermanni de Hoerde, canonici ecclesie Monasteriensis et archidyaconi in Wenterswyck necnon Wynandi Tiekinck ibidem pastoris ereximus; dictosque annuos redditus et bona mortificavimus et perpetuavimus, ac pro dote dicti vicarii assignavimus sibique quoad vitam duxerit in humanis et post eius obitum seniori et proximiori de sanguine et vera genealogia ipsius existenti et originem trahenti ius patronatus et presentandi vicarium ad dictum altare cum pro tempore vacare contigerit reservavimus, prout erigimus, mortificamus, perpetuamus, assignamus et reservamus per presentes sub modificatione et forma infrascriptis.

In primis quod patroni debeant presentare ad dictam vicariam infra tempus debitum a iure statutum proximiorum de sanguine dicti Hermanni fundatoris habilem et idoneum si talis in sanguine ipsius repertus fuerit, alioquin aliquem idoneum clericum per dominum pastorem in Wenterswyck pro tempore nominandum. Institutio vero ad archidyaconum pro tempore in Wenterswyck iure pertinebit; sitque dictus vicarius pro tempore ad tres missas, videlicet martis, iovis et sabbati diebus quarum videlicet unam iovis de venerabili sacramento et reliquam sabbati diebus de gloriosissima Virgine Maria cantabit, pro ipsis fundatoribus et fundatricibus et suorum parentum, fratrum, sororum, benefactorum ac omnium fidelium defunctorum animabus celebrandam, efficaciter obligatus et perpetuo astrictus.

Erit etiam rectori ecclesie predictae et vices eius gerenti in licitis et honestis obediens.

Oblationes vero que ad dictum altare oblate fuerint, absque diminutione et fraude ipsi plebano vel eius locumtenenti presentabit, nichil iuris sibi in ipsis vendicando.

Erit etiam dominus vicarius ad cantum chori tempore divinorum obligatus et apud dictam ecclesiam seu vicariam residentiam faciet personalem, quam si requisitus per pastorem non fecerit, iure poterit privari.

Premissa vero omnia et singula et quod non velit alienare bona et redditus vicarie huiusmodi promittet in conscientia sua se fideliter observaturum.

Mandantes nichilominus sibi de omnibus et singulis fructibus, redditibus et proventibus iuribus et obventionibus universis plenarie et integre responderi.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum sigillum curie Monasteriensis manibus minori sigillo eidem a tergo sub impresso una cum sigillo memorati venerabilis domini Hermanni de Hoerde, canonici et archidyaconi predictae ecclesie in Wenterswyck necnon quadam littera sigillata consensus honorabilis domini Wynandi Tiekinck pastoris semper predictae ecclesie presentibus transfixa est appensum.

Datum anno Domini millesimo quingentesimo secundo, die vero lune decimatertia mensis Martii.

[Aansluitend op de hoofdtekst, met andere hand] Item littera pergamenea continens redditus sex florenorum annuorum de qua super fit mentio reempta est et deposita ad alios redditus de quibus similiter est littera sigillata ex fundo Rensynck in parochia Wenterswyck quam vidi Johannes Tobber notarius scripsi.

[Links onder op de akte, gedeeltelijk achter het transfix, met andere hand] Item de drie golden gulden de dat gansse kersspel verordent hebt alss vorgescreven yn desser fundacien styet, daer sal men alle dunderdaege ene ewyge mysse yn de eer des Hyllygen Sacraments voer holden yn de Hillige Kercke to Vyentersswijck up dat aeltaer Unsser Leven Vrowen und Nicolaii, daermen jaerlijx van geven sael: Int eyrste up dat Scarsvort eyn deel, yn dat Smollert voer Wyllynck dat ander deel, dat derde deel uyt dess Vryessenkempe, dat vierde dyel uyt Johan Rockes kempe und gorden ynd Woolden dat vijffte deel gelegen yn der Brock bij Korttsate, gelijk dat oelde myssbock t'Wentersswyck dat naebrenckt desse volgende artyckeke sent keeren ende gegeven voer eyn erff tynss.

[Rechts van de vorige tekst, eveneens gedeeltelijk achter het transfix, met andere hand] Item totte missen des saterdaghes is gegeven die wickaren eyn stucke landes so genomet van den gemenen junckeren, pastor, kerkmester und gildemesteren des gemenen kerspels van Wenterswick als dat nabrenckt eyn gudtbesegelt breff den men hir bij hefft totter eren Gades und Marien eyn syngende mysse allen wecken men holden sal in der kercken und up dat altar vorgescreven.

[Transfix] Wynandus Tiekinck, pastor parochialis ecclesie sancti Iacobi Apostoli in Wenterswick, Monasteriensis dioecesis, licet dudum quedam perpetua vicaria ad altare Beate Marie Virginis et Sancti

Nicolai Episcopi in dicta mea ecclesia, de expresso consensu et voluntate mea, et pro successoribus meis pastoribus in eadem ecclesia consentiendo fundata et erecta extitit, cuius ius patronatus presentandi, ad providos viros Hermannum de Basten et Hindricum de Basten, ipsius filium legitimum, et in sanguine eorundem proximiores successores, pleno iure spectare et pertinere dinoscitur, iuxta et secundum foundationis desuper loquentis, et per meum archidiaconum loci admisse vim, formam et tenorem: unde ego Wynandus pastor antedictus pro maiori assertione et firmitate premissorum fateor, et expresse recognosco pro me et successoribus meis prefatos Hermannum et Hinricum suosque in sanguine successores proximiores memorate vicarie fore et esse veros patronos et presentatores.

In cuius rei testimonium sigillum meum presentibus duxi appendendum. Datum anno Domini millesimo quingentesimo secundo ipsa die beati Ambrosii Episcopi et confessoris.